

operam praestant. c. Clericis, c. Sententiam, ne Clerici, vel Monachi, c. Episcopus, eod. tit. in 6. E contra non fiunt irregulares, qui gladios vel laqueos faciunt, legislator leges capitales condens, Concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores, Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, iudicem sine acceptione personarum fungi debere suo officio; quia hi omnes non concurrunt proxime, sed tantum remote. Tum autem hi proxime concurrerent, et fierent irregulares, si quid facerent, aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus sequeretur, aut acceleraretur, v. g. si quis efficaciter urgeret reum ut scalam ascenderet, vel ad hoc illum juvaret.

Hic ad tollendos scrupulos juvat notare sequentes sententias: *Prima* est *Vasquesii, Turriani, Hurtadi* et aliorum: quod ex homicidio nemo fiat irregularis, nisi concurrat *ut publicus minister* justitiae, sive ad causae probationem, sive ad executionem, vel *ut privatus* injuste et cum peccato. *Secunda* est *Avilae, Henrig., et Laym.* quod subinde etiam proxime concurrentes excusari possint ab irregularitate, v. g. si fiat ex indeliberatione, v. g. si dicat confessarius ad reum, *properemus*: vel si cooperatio sit valde exigua, v. g. si quis furem hortetur ut scalam ad patibulum ascendat, vel si quis carnificem moneat, ut aliquid melius aptet, quo citius extinguatur reus, qui suggerit viam breviorum ad locum supplicii, qui carnifici putanti suspensum esse mortuum, significat, eum adhuc vivere, ex quo novam carnificinam exercet etc.

1477. De pugnantibus in bello notandum: *Primo* si bellum sit evidenter injustum, omnes in eo militantes irregulares sunt, etiam qui propriis manibus neminem interfecerunt, si vel unus fuerit occisus, can. 4. dist. 51. ex Conc. Tolet. I. . . . *Secundo* irregulares sunt, qui in bello etiam justo propria manu occidunt, vel mutilant; c. *petitio*, de homic. volunt. Secus, si nullum occiderint.

1478. Medici et chirurgi non contrahunt irregularitatem, qui secuti artis suae regulas, consuluerunt, vel executi sunt mutilationem; quia hic non est defectus lenitatis, si pars una ad conservationem totius praescindatur. Secus, si intercederet gravis negligentia, et incuria eorum.

1479. Non fit irregularis ex defectu lenitatis, qui coactus vim vi repellens cum moderamine inculpatae tutelae aggressorem iniquum interficit, aut mutilat; quia in jure tali actui non est statuta irregularitas. Pariter ea nec statuta legitur soli vulnerationi.

1480. IX. Irregulares ex defectu libertatis sunt: 1. *Omnes servi* proprie dicti, donec consequantur plenam libertatem. Constat ex tit. *de servis non ordinandis*. 2. *Conjugati*, nisi uxores consentiant et castitatem voveant. 3. *Curiales*, h. e. curiae saeculari facto juramento obligati, ut n. 1473. dictum est, scil. nisi vel dispensatio intercedat, vel consuetudo, sciente Papa, id permittat. 4. *Milites*, quamdiu juramento tenentur; *lictiores*, *apparitores*, et similes.

### §. III. De irregularitate ex delicto.

1481. *Principium generale.* Irregularitas ex delicto oritur I. ex *iteratione baptismi* serio et scienter, ita ut fiat irregularis tam rebaptizans, quam rebaptizatus, cum hoc discrimine, quod Clericus rebaptizans tantum impediatur a suscipiendo ordine altiore. Arg. ex c. *ex litterarum*, de apostatis; c. *qui in qualibet*. 1. q. 7. Non tamen incurritur irregularitas, si rebaptizatio fiat sub conditione: *si non es baptizatus* etc., quia tunc non est rebaptizatio vera cum effectu; nam reiteratio est sine effectu, si baptismus antea valide fuit collatus. *Reiffenst.* L. 5. Decret. tit. 37. n. 69.

1482. II. Haec irregularitas oritur ex *violatione censurae*, v. g. si quis censura (excepta excommunicatione minore) innodatus actum aliquem ordinis solemniter exercent. Ita in toto tit. de Clerico excommunicato ministrante etc. *Is, cui*, 20. de sent. excomm. in 6. Notandum hic ex l. 7. de Synod. Dioec. c. 67. ubi *Bened. XIV.* n. 7. ait: *A jure irregularitate quidem afficiuntur, qui contempta, qua ligantur censura, in suscepto ordine ministrant; nunquam vero irregulares pronuntiantur, qui cum ejusdem censurae vinculo ad superiorem ordinem ascendere praesumunt.*

1483. III. Ob peccatum, quo Clericus exercet *solemniter ac scienter actum ordinis sacri*, quem non habet. c. *ex litteris*. 2. de Clerico non ordinato ministrante. Dixi, *solemniter*; quia si ministret sine solemnitatibus requisitis ad hoc, ut quis dicatur ministrare ex officio, v. g. si quis cantet epistolam sine manipulo, vel Evangelium sine stola, non dicitur proprie ministrare in ordine, ideoque nec fit irregularis. *Tourn.* l. c. Dixi etiam, *actum ordinis sacri*; quia etiam laici in ordinibus minoribus adhibitis vestibus ecclesiasticis, ministrare solent, quin tamen fiant irregulares.

1484. IV. Ob delictum, quo quis *illicite suscepit ordines*, v. g. in *excommunicatione majore*, aut *ab Episcopo non habente jurisdictionem, vel ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis, vel furtive*, et non examinatus, Episcopo scil. nesciente et non approbante. c. 1. 2. et 3. de eo qui furtive.

1485. V. *Propter enormia crimina, si sint notoria et publica*, v. g. quae a jure annexam habent infamiam (ut supra dictum est); cujusmodi sunt adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio. Huc revocant aliqui histriones, qui valde turpia publice cum scandalo proponunt, ludunt etc.

1486. VI. Ob *mutilationem, vel homicidium, vel directe, vel indirecte voluntarium*. Per mutilationem hic intelligitur, quando a corpore separatur membrum aliquod principale, h. e. pars corporis, quae officium per se distinctum habet, ut manus, pes, oculus etc. Hinc non censetur mutilare aliquem, qui alteri excutit dentem, digitum, aut auriculam, et ut ait *Busembaum*, nasum praescindit, quia haec non sunt proprie membra. Nec fit irregularis, qui excaecat alterum, non excutiendo oculum, nec qui debile tantum reddit aliquod membrum, quia haec non est mutilatio. Quod homicidium voluntarium inducat irregularitatem, patet ex toto tit. de homicid. item ex c. 4. 5. 6. 8. etc. dist. 50. . . . *Voluntarium*, inquam, tum directe tale, quod directe intenditur vel in se, tum indirecte tale, quod intenditur in sua causa, quae cum effectu ita connexa est, ut quis eum praesumatur velle, eo ipso, quod velit causam, ex qua praevideat, vel praevidere debuit, mortem esse secuturam.

1487. Ex homicidio mere casuali ab eo perpetrato, qui operam dedit rei licitae, et omnem adhibuit diligentiam ad evitandum homicidium, nullam incurri irregularitatem, in jure receptum est, uti colligitur ex c. *lator* 9. c. *dilectus*. 13. c. *ex litteris*. 14. et seq. de homicidio. Atque ex eo dependet resolutio notae quaestionis, an irregularitatem incurrat Clericus hominem forte interficiens in venatione; ad quam sub distinctione respondent AA.: Si homicidium commiserit in venatione *clamorosa*, quae certo prohibita est Clericis, incurrit irregularitatem, quia vacando rei illicitae delictum commisit: secus si id commiserit in venatione *quieta*, de qua cum nondum certo definitum sit, quod sit Clericis prohibita, probabile est, quod in tali casu non incurrit irregularitatem, quia probabile est, quod vacaverit rei licitae, si tamen simul adhibuerit omnem diligentiam ad evitandum homicidium. *Confirm.* ex l. 7. de Synod. Dioec. c. 61., ubi *Bened. XIV.* n. 8. ad hanc resolutionem addit: *Nihilominus Sacra Congregatio Concilii saepius*

irregularem declaravit Clericum, qui, cum vacaret venationi non clamorosae, sed quietae, hominem fortuito interfecerat, quod utique argumento est, eam existimasse, omnem venationem etiam non clamorosam, esse Clericis prohibitam. Verum cum S. Congregatio ita declaraverit, eo quod non satis compertum habuerit, a Clericis, de quibus agebatur, omnem adhibitam fuisse diligentiam ad evitandum homicidium, quod profecto necesse est, ne ex illo, quamquam ex licito opere, absque dolo subsequito inducatur irregularitas, quod cum communi docent Covarr... Ugo... Avila... ideo controversia remanet adhuc indecisa.

*Irregularitatem incurrentes:*

„Infirmus, demens, vitiatus, foemina, servus  
 „Infamis, novus, ignorans, baptismate peccans,  
 „Ordineve, occidens, mutilans, bigamusque, nothusque,  
 „Haerese constrictus, pauper, puer, exularis.

1488. Juvat hic subnectere doctrinam de absolutione ab haeresi notatu dignissimam ejusdem Bened. XIV. quam L. 7. de Syn. Dioec. c. 32. tradit, ac primo quidem n. 3. ita docet: *In praecipuas Pastoralis muneris curas est solerter invigilare, ne ullus contra orthodoxam doctrinam error in suam dioecesin irrepat.* Juxta Apost. 1. ad Tim. 3. et ad Titum 1. Secundo ibid. docet: *Tam vero tam Inquisitor, quam Episcopus potest respicientem haereticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum forum quoquomodo deductum Ecclesiae reconciliare, et pro utroque foro absolvere a censura, in quam propter haeresin incidit... Quinimo uterque potest poenitentem haereticum, postquam suos ejuravit errores, ad simplicem confessarium remittere, ut ab eo absolvatur, eamque absolutionem, licet a confessario datam in foro sacramentali, prodesse etiam pro foro externo, a cujus jurisdictione promanat, recte observat Del Bene... Num. 4. pergit ita: Haec certa sunt; communiter quoque Doctores non tantum Episcopo, verum etiam cuilibet simplici confessario facultatem concedunt absolventi ab haeresi pure interna et mentali, nullo exteriori signo manifestata: absolutio quippe ab haeresi est summo Pontifici reservata solum ratione censurae eidem haeresi annexae. Ecclesia autem sicuti non potest per se directe et immediate praecipere, aut prohibere actum mere internum, juxta communem T. T. sententiam;... ita non potest haeresim, quae in actum exteriori non prodit, censura perstringere. Censuram pariter evaderet, possetque pro foro conscientiae ab Episcopo, aliove simplici confessario absolvi, qui exterius verbo vel facto aliquem negaret fidei articulum, retento tamen interiori assensu circa illum; nam iste etsi graviter contra fidem peccaret, non esset tamen formaliter haereticus, ac propterea non irretiretur censuris in haereticos inflictis... Denique n. 5. ait: Sed difficultas unice circa eum versatur, qui interius fidei articulo dissentitur, suumque dissentium aliquo exteriori signo pandit, quin tamen ideo fuerit ad forum judiciale deductus; de hoc quippe, quem haereticum esse, censurisque in haereticos latis innodatum nemo dubitat, controvertitur, an quamdiu ejus delictum occultum est, possit ab Episcopo pro foro conscientiae absolvi. Difficultatem faciunt Trid. et Constitutio Apostolica, quae singulis annis in die Coenae Domini promulgatur... ibid. n. 6. nam specialis est ratio dubitandi, num per eandem Bullam Coenae sit ablata etiam Episcopis, sicut Regularibus, potestas absolventi ab haeresi occulta, iisdem attributa a Conc. Trid. Postea per totum, imo etiam sequenti Capite erudite ostendit, eam facultatem esse Episcopis adeptam.*

§. IV. *Quaestiones finales pro praxi.*

1489. Q. I. Quid sit observandum pro dispensatione in irregularitate ex defectu, vel ex delicto Romae petenda? R. Si delictum, v. g. homicidium, sit occultum, nec ad forum contentiosum deductum, a Poenitentiaria dispensatio petitur hoc modo: *Petitur dispensatio super irregularitate a Petro dioecesis N. contracta ex homicidio voluntario, quod sic accidit:* narratur species facti, et additur, quod sit casus occultus. Si vero delictum sit notorium, aut irregularitas proveniat ex defectu corporis, dispensat Dataria.

1490. Q. II. Quid observandum sit pro dispensatione super aetate ad ordines requisita? R. Haec datur ex sequentibus motivis: 1. Ob penuriam Sacerdotum. 2. Ob utilitatem egregiam Ecclesiae, quae exspectatur a dispensando. 3. Ob solatium parentum senio confectorum, vel aegrotorum. 4. Ob aretationem beneficii actualis. 5. Ob doctoratum Theologiae, vel sacrorum Canonum. Ordinarie non dispensatur nisi pro 13 mensibus. Modus petendi hic est: *Petitur dispensatio in aetate 13 mensium pro N. dioecesis N. in solatium parentis, senio confecti etc.*

1491. Q. III. Quae sit formula petendi dispensationem ad ordines extra tempora, vel sine interstitiis suscipiendos? R. Modus petendi est sequens: *Petitur dispensatio in interstitiis (vel extra tempora) pro NN. Clerico (vel Scholari) dioecesis N. in solatium parentis senio confecti, vel quia jam est annorum 27 etc.*

1492. Notandum, quod in interstitiis ob causam etiam possint dispensare Episcopi Germaniae: item in aetate unius anni pro ordinibus ex facultate speciali. In aetate tamen ad beneficium curatum obtinendum Episcopi nec pro brevi tempore dispensant.

1493. Denique pro dispensationibus nulla quidem solvitur taxa Poenitentiariae, aut Datariae, sed Agentiae secundum mensuram laboris, et quidem pro dispens. super irregul. ex delicto, vel defectu Agentiae in Poenitent. solvuntur 50 bajoci, sive florenus Rhenanus. Agentiae in Dataria 12 scuta. Pro dispens. super aetate 12 scuta. Porro unum scutum circiter aequivaleret duobus florenis cum dimidio nostrae monetae: decem Julii seu Pauli Romae faciunt unum scutum: decem bajoci unum Julium: quinque Quatrini unum Bajocum.

CENSURARUM

IN JURE CONTENTARUM COLLECTIO

Ordine alphabetico disposita.

Prooemium.

„Exhibetur hic pro necessaria censurarum notitia distinctus omnium excommunicationum, suspensionum, et interdictorum catalogus, prout cum reservatione, vel sine reservatione continetur in Jure. Ubi notandum est quod sequitur, scilicet:  
 „Quoad excommunicationes Papae reservatas, si hae continentur in Bulla Coenae, nemo extra mortis articulum potest ab iis absolvere, etiamsi habeat facultatem generalem absolventi ab omnibus censuris Papae reservatis, nisi specialiter exprimentur in concessione; in qua tamen semper censetur excepta haeresis, quoties de hac etiam non fit mentio expressa, sicuti etiam censentur excepti sex casus, qui specialiter sunt Papae reservati intra Italiam, scilicet violatio clausurae Monialium ad malum finem, percussio Clerici vel Monachi, simonia realis, scienter contracta, confidentia beneficalis, duellum, et violatio Immunitatis Ecclesiae circa confugientes ad Ecclesias.  
 „Quoad suspensiones, si hae latae sunt ad tempus, antequam per se ipsas cessent, interim censentur Papae reservatae, ut cum pluribus docet Bonae. de suspensionibus in particulari disp. 3. q. 2. punct. 1. n. 7. et q. 3. p. 3. n. 7.